



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Vigessimum Septimum. Encomium Marianum Trigesimum.  
Secundum. Stella Matutina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium ò benedicta in ventrix gratia, genitrix vitæ mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Fac ò benedicta per gratiam, quam invenisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis & miserie nostræ: te quoque intercedente participes nos faciat gloria, & beatitudinis suæ IESVS Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in secula, Amen.

CAPUT VIGESIMUM  
SEPTIMUM.

*Encomium Marianum Trigesimum.  
Secundum.*

STELLA MATUTINA.

**V**irginem sacratissimam stellam esse fusius ostendimus cum dulcissimum nomen ejus quod est MARIA explicavimus: idque tum quod nomen illud interpretetur



pretetur *Maris stella*, tum etiam quia proprietates *Maris stella* ad quam se navigantes dirigere solent optime eidem conveniunt ut in *tit. 1. SANCTA MARIA* videre licet: sed præter rationes ibidem assignatas alias adducit Doctor mellifluus: *Ipsa namq̄* (ait *Hom. 2. super miss.*) aptissime syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione *Virgo* parturit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec *Virgini* filius suam integritatem. *Ipsa* est igitur nobilis illa stella ex *Iacob* orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. *Ipsa* inquam est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum spatiosum necessario sublevata, micans meritis illustrans exemplis. Hucusque *Bernardus*.

## §. I.

**A**Mplius *Virginem* sacratissimam *maris* esse stellam ex alijs adhuc principijs & causis ostendit inter primos *S. Ignatij Societ. IESV* institutoris discipulus *Alphonsus Salmeron* siquidem verba Evangelij &

nomen



*nomen Virginis MARIA exponens dicit hoc ipsum nomen significare, & interpretari Maris stellam: Quinto ergo ait fuit stella maris in Assumptione sua, in qua non longe à Christo abest: Quod revera author ipse sine evidenti ratione dixit si Philosophis credimus non stella solum, sed & omnes planetae, quin & inter planetas post solem nobilissima luna cœli, & militia cœlorum ob hoc sæpius in Prophetis nominata Regina, licet sint corpora nobilissima & nobis appareant lucidissima: omne tamen suum à sole lumen debent mutuare, miserrima procul dubio & tenebrosissima futura, si non benigno ejus aspectu potiantur & luce perfundantur. Sic ergo & Virgo benedicta: licet omnes stellas omnesque planetas seu omnem cœlorum exercitum luce sanctitatis longe antecellat, Regina cœlorum & Imperatrix verius nuncupata: omnem tamen suum ab ipso sole justitie Christo omnis luminis & splendoris fonte manare videt splendorem & lucem: Quia non longe à sole Christo abest: quanto enim magis hujus solis splendorem, influxum, & illuminationem participat tanto decet eam huic soli esse propinquiorem. Prosequitur autem author citatus: Nam ut Lucifer solem*

*mane*



mane antecedit & Hesperus sub vesperam so-  
 lem consequitur: ita MARIA ante incarnatio-  
 nem solem justitiæ Christum præcessit ut Luci-  
 fer, assumptum in cælum subsequuta est ut He-  
 sperus in Assumptione sua. Hæc autem stella ma-  
 ris à quibusdam polaris dicitur, quod si verum  
 est, stella hæc habet locum supremum in Hemi-  
 sphærio nostro, atq; ita super omnes Angelos &  
 beatos exaltata est. Habet immobilitatem in si-  
 tu, cum cæteræ stelle moveantur. Nam cum B.  
 Virgo consummatam gloriam possideat corpore  
 & anima quietem habet. Cæteri Sancti etsi a-  
 lioqui beati, corporum suorum resurrectionem  
 expectantes, nondum plene quieti sunt: Habet  
 hæc stella volubilitatem in ambitu suo, licet lo-  
 cum mutare non videatur: ita MARIA motum  
 perfectæ circa nos charitatis habere dignosci-  
 tur. Habet attractionem quia secundum Philo-  
 sophos antiquos propterea terra in centro im-  
 mobilis manet, quia polus arcticus eam tenet ne  
 cadat, antarcticus ne surgat, atq; ita MARIA  
 suis precibus retinet, ne mundus peccatorum  
 mole in abyssum precipitetur. Habet hæc stella  
 directionem in suo ductu; nam dirigit navi-  
 gantes ut perveniant ad portum, & ita Mater  
 Messie in omni periculo nobis succurrit, ut ad  
 portum



portum gratiæ DEI, vel vitæ æternæ perueniamus. Hæc stella aspectui nostro minima est inter omnes; ita ipsa humillima, minima, & in oculis suis ut dici solet invisibilis, sed quo magis humiliata est seq̃ ipsam exinanivit: eo magis à DEO illustrata est, & reddita gloriosior. Habet illa septem alias stellas notabiles, quæ volvuntur circa eam, quæ propterea dicuntur septentriones: & MARIA septem Angelos supremos, & assistentes habet, qui ejus nutui & imperio obedire, gloriosum sibi ducunt. Hinc Apocal. 1. dicitur: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Etsi enim sermo sit de DEI throno, proxima tamen ejus dextera assistit B. Virgo, de qua scriptum est: astitit Regina à dextris tuis, &c. Hucusque auctor citatus.

## §. 2.

**S**ed & si alias stellæ materialis proprietates, & prærogativas ac excellentias perfectius aspiciamus, easque stellæ mysticæ, Virgini inquam Deiparæ adaptemus: merito eam ab Ecclesia, & *Maris stellam* & *stellam Matutinam* nuncupatam reperiemus.

Primo equidem stellarum substantia ita solida est, & firma, quod nec vetustate  
 corrum-



corrumpitur nec putredine emollitur, nec aliquo casu dissipatur: & inde est quod stellæ à stando, sic dictæ sunt. Jam stellam mysticam intueamur, certe si ulla unquam stella firma, solidaque fuit, ipsa est: quam nulla unquam vetustas corrumpere, nulla putredo emollire, nullus dissipare casus potuit: In justitia enim & sanctitate firmissime super omnes alias stellas, & sanctos radicata fuit, ita ut ad culpam ullam vel venialem, vel mortalem numquã ab ullo inflecti potuerit, in cœlo enim justitiæ & sanctitatis ita radicata fuit, ut ab eo numquam per ullam culpam avelli potuerit: & de ea optime verificari potuit, quod de justo scriptum est: *Iustus in justitia permanet ut sol.*

Secundo stellarum est continuo in hæc inferiora diffundere qualitates, & influentij suis orbem quasi in esse conservare: subtrahat enim stellarum in hæc inferiora quis ad modicum tempus influentias videbit quam brevi temporis spatio vigorem suum sublunaria amittent, omnis generationis successio cessabit, & omnia ad interitum vergent: eundem in nos qui in hujus mundi domicilio versamur effectum habet

bet



bet stella mystica, tanta est enim nostra ab hac stella dependentia, tanta qualitatum & influentiarum ejus indigentia, ut si ad modicum pietatis suæ viscera à nobis occluderet, in miserrimum statum redigeremur, meminerimus verborum *S. Anselmi*, quemadmodum impossibile est ut is à quo tu *Virgo sacratissima* oculos tuæ pietatis avertis, *salvus fiat*, necesse est ut pereat: sic impossibile est ut pereat, ad quem oculos tuos convertis exorans pro eo, necesse est ut *salvus fiat*. Et *Seraph. Bona-vent.* Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere, ita nec sine *Domina* potes habere salutem. Et iterum, quibus auxiliata fueris *Domina* erit refrigerium pacis, & à quibus averteris vultum tuum non erit eis spes ad salutem. Hinc & *S. Bernardus* ut stellæ hujus mysticæ influentiarumque ejus in hæc inferiora necessitatem omnibus ob oculos ponat: Tolle inquit corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle *MARIAM* hanc maris stellam, maris utique magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens: umbra mortis & densissima tenebra relinquuntur.

Tertio stellæ summum decorem habent in aspectu, ita quod summe delectabile est



bile est ipsas videre & hoc præcipuè ob lucem & splendorem quem emittunt, qui non est solum ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco: stella enim non solum splendet exterius quantum ad apparentiam, imo etiam & intra in substantia: habet enim stella substantiam perviam ac diaphanam, quæ à solis radijs penetratur, qua intus sicut exterius illustratur. Habet & eandem prærogativam stella mystica, quod nimirum summum habeat in aspectu decorem, in tantum quod summum habent beati in cœlis ex ejus intuitu gaudium, & delectationem majorem quam humana mens capere possit: ut fusius in Encomio *Mater amabilis* ostendi, lucetque hæc stella mystica non solum exterius, per exemplarem ac sanctissimam summeq; ædificatoriam conversationem propter hoc speculum exemplar & prototypon omnis justitiæ & sanctitatis merito appellatum: sed & interius, eo quod omni virtutum excellentia, & decore resplendeat juxta cælestis sponsi de eadem effatû: *Cant. 4. Tot a pulchra es amica mea, tot a pulchra es: oculi tui colubarũ, absq; eo quod intrinsecus latet. Cant. 4. Et Psalm. 44. Omnis*



*gloria filiae Regis ab intus. Ut jure sibi vendicare possit Virgo sacratissima verba Apocalypseos Ego sum genus & radix David stella splendida & matutina.*

§. 3.

**S** At fusc ut reor Virginem sacratissimam *Stellam & stellam maris* ab Ecclesia & Doctore mellifluo salutata demonstravimus, superest ut paucis itidem causam cur *stella matutina* appelletur insinuemus. *Ecclesiasticus IESVS filius Syrach* summi sacerdotis *Onia filij Simonis* præconia & laudes recensens: *Eccl. 50. Quasi stella matutina ait in medio nebula & quasi luna plena in diebus suis & quasi sol refulgens sic iste effulsit in templo Dei.* Magna præconia; quæ multo majori jure de Virgine super benedicta verificentur: & hinc reor Ecclesiam idem præconium desumpsisse & Virgini sacratissimæ adaptasse. Et convenientissime: ipsa equidem in Nativitate sua *stella matutine* vicem subijt: etenim uti *Lucifer stella matutina* finis est præteritæ noctis, & advenientis diei principium: ita beatissimæ Virginis Matris Nativitas finis existit tenebrose noctis tristitiæ & initium sereni diei huma-

næ læ-



nã lætitiæ & exultationis: totum siquidem  
 tempus tot anteactorum sæculorum ab *A-*  
*damo* ad Nativitatem Virginis usq; obscu-  
 rissima fuit nox, propter gravissimorum  
 peccatorum caliginem sic affirmante *Hu-*  
*gone de S. Victore*, *serm. 34. totum namq; tem-*  
*pus ait ille quod ab Adam usque ad ortum Vir-*  
*ginis præcessit quasi nox existit, nox longa &*  
*obscura: Ps. 103. hãc ergo, de qua olim Ps. Reg.*  
*posuisti inquit tenebras & facta est nox, in*  
*ipsa pertransibunt omnes bestia silva, termi-*  
*navit stella illa splendida & matutina eo quod*  
 veluti prænuntia exoriturum in brevi so-  
 lem justitiæ, qui radijs suis omnes prorsus  
 tenebras depelleret, indice quasi præsigna-  
 vit. Et sicuti cum nata est terminavit no-  
 ctem peccati, ac legis antiquæ, ita adhuc  
 quotidie à dilectis suis invocata, terminat  
 noctem angustia, & adversitatis, ut merito  
 cum Doctore mellifluo millies inclamare  
 liceat: *Si insurgunt venti tentationum, respi-*  
*ce stellam, voca MARIAM, non recedat ab*  
*ore, &c.*